

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Matthias Stein

**Academiæ Rostochiensis Rector, Matthias Stein/ J. U. D. Cod. P. P. O. In Festo  
Nativitatis Christi De Fundamento Salutis Humanæ A Deo Hodie Posito Disserit,  
Utq[ue] salutem suam ... Cives Academicos pro officii ratione hortatur**

Rostochi[i]: Typis Joh. Wepplingi[i], [1707?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn893546771>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1707. Weihn.

~~M-1256. 100.~~

W. 1707

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
RECTOR,  
**MATTHIAS Stein,**  
J. U. D. Cod. P. P. O.  
**FESTO NATIVITATIS**  
**CHRISTI**  
**FUNDAMENTO**  
**SALUTIS HUMANÆ**  
**A DEO HODIE POSITO**

DISSERIT,

utq;

salutem suam ei superstruunt  
**CIVES ACADEMICOS**  
pro officii ratione  
hortatur.



Rostochi, Typis Joh. Wepplingi, SER. PRINC.  
& ACAD. Typogr.

M. 1256 108

HALLELUJA!



Coe! annuncio vobis gaudium magnum, quod futurum est omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Sic quondam Angelus claritate Domini circumfusus, comitante militiæ coelestis multitudine, pastores in agro Bethlemitico vigilantes & excubantes excubias nocte super gregem suum altâ voce alloquutus, nativitatem indicebat ejus, quem tot votis expetierant Patriarchæ, quem desideraverant quicunq; fideles, quem universa expectaverat Ecclesia Veteris Testamenti. Recurrit nunc iterum, HONORATISSIMI CIVES! haud sine ingenti Ecclesiæ Novi Testamenti gaudio, id temporis, quo illum indictum ab Angelo natalem quotannis memoriâ recolere, atq; festivis cum solennitatibus publicè celebrare Christiani permulta jam per secula sverunt. Ecce igitur! annuncio & ego Vobis gaudium magnum, quod factum est omni populo: quia natus est Vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in Civitate David. Quam non miserrimus est naturalis mortalium omnium status! quorum corrupta per lapsum primum hominum natura est, quos nascentes miseria omnisque generis calamitates excipiunt, quos ipsa mors expectat à primo inde momento, quo vivere incipiunt. Quæ omnia causæ plus satis sunt, cur cum Paulo quisquis ingeminet: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore mortis hujus? Rom. VII. 24. Enimvero his majus existit multòq; gravius, quod peccatoribus est timendum, cuius vel sola cogitatio animi dolorem, horrorem, terorem, cordis angustias incutere vallet. Læsa namq; per peccata nostra Divinâ Majestate, culpa pariter ac pœnæ rei ad unum omnes facti sumus. Cumq; infinita, quæ læsa est, justitia, vel infinitam postulet satisfactionem, vel infinitas infligat poenas; aeternam damnationem

hem, gehennam, & qvicqvid est tormentorum infernalium  
meriti omnino sumus. Deus verò, qua est φιλανθρωπία, mi-  
sericordia nostræ misertus, salutem nobis nihilominus non pro-  
misit tantum, sed & media eam obtinendi ipsemēt præscri-  
psit ac dedit, quò & justitiae suæ fieret satis, & nos æternū  
salvi efficceremur. Ac ut eò certiores ejus essemus, funda-  
mentum posuit totius rei firmum, stabile ac immotum, con-  
tra qvod nec ipsæ interorum portæ quid quam valent. Istud  
quodnam sit, Paulus divino ex afflato scribens i. Cor. III. ii.  
hisce indicat verbis: *Fundamentum aliud nemo potest ponere,*  
*præter hoc, quod positum est, quod est JESUS CHRISTUS.* Jesum  
Christum cum dicit, quemnam intelligat, cuinam Christi-  
anorum ignotum esse potest? Est enim verus ille æternusq;  
Dei Filius, cum Patre ac Spiritu S. consubstantialis, qui ju-  
xta æternū consilium atq; decretum divinum in temporis  
plenitudine naturam assumit humanam, in unitate hypo-  
staseos, atq; Mariâ virgine in tempore definito natus est,  
passus pro nobis, mortuus ac sepultus, à mortuis virtute  
divinâ iterum resurrexit, ascendit gloriose in cœlos, ad Dex-  
tram Patris nunc sedet, indeq; venturus in fine mundi est  
ad judicandum vivos pariter atq; mortuos. Hic fundamen-  
tum est salutis nostræ, præter quod aliud poni fundamen-  
tum non potest. Non ero prolixus in recensendis variis  
fundamenti significationibus, quæ apud Flacium in Clav.  
Script. Ravanellum in Biblioth. Sacr. aliosq; id genus Lexi-  
cographos evolvi, si volupe est, possunt. Id verò inter omnes  
notissimum esse reor, esse vocem hanc architectonicam, ac  
illud denotare, quod omnium primum ponitur ex illis, quæ  
ædificii constitutionem, tanquam partes, ingrediuntur, ut  
posito eo, & reliqua ipsi superimponi possint, totaq; adeo  
ædificii structura ipsi innitat, quæ poni haud potuisset, ni  
ipsum prius fuisse possum, Inde vero ad doctrinam de

salute hominum, propter analogiam quendam, refertur, ad significandum id, quod in salute nostrâ primum est, estq; ratio & causa, cur salus nostra sit aut esse possit, ita, ut illo non posito, nec hæc esse queat. Est igitur natus hodie Jesus Christus fundamentum salutis nostræ, i.e. primum in eâ, sine quo sperari nulla salus potest, quod totidem planè verbis docuit Petrus, qui, cum hominem ex utero matris suæ clavilum sanasset, à Concilio Sacerdotum ac Magistratum, quâ virtute aut quo nomine hoc fecerit? interrogatus intrepidè respondit: Notum sit omnibus vobis & toti plebi Israel, quod per nomen Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit ex mortuis, per hunc iste adstat coram vobis salus. Hic est lapis ille, qui rejectus est à vobis adificantibus, qui factus est in caput anguli: nec est in alio quoquam salus, nec enim aliud nomen est sub cœlō datum inter homines, in quo oporteat nos salvos fieri. Act. IV. 10. sqv. Quis autem hunc posuerit in salutis nostræ fundamentum, inquirere adeò opus non est, ut omnes statim colligant, ipsum fuisse Deum. Qui enim solus conferre potest beatitudinem, is quoq; solus dare salutis media potest, ejusdemq; ponere fundamentum. Veruntamen de hoc quoq; ut eò essemus certiores, revelatum id nobis Deus voluit per Esaiam Cap. XXIX. v. 16. Hac dicit Dominus Deus: Ecce! ego ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, fundamentum fundatum, i.e. juxta idiotismum Ebrææ lingvæ, fundamentum firmissimum ac solidum, seu fundatissimum, ut ita loquar. Lapidem hunc autem esse Jesum Christum, Salvatorem nostrum hodie natum, dubitare nos non sinit allegatus Locus Paulinus huic oppido parallelus. Ab hoc enim hominum dependet salus, confirmante eodem Apostolo 2. Cor. I. 20. Quotquot enim sunt, scribente, promissiones Dei, per ipsum sunt etiam, & per ipsum amen, Deo ad gloriam per nos. Sic igitur Deus fundamentum salu-

salutis nostræ ipse posuit, & quidem principaliter, quamvis  
in ponendo eo hominum etiam utatur opera ac ministerio,  
quemadmodum & ipse Paulus paulo ante, nimirum v. 10. de  
se dixerat: *juxta gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens ar-  
chitectus fundamentum posui: id ipsum videlicet, quod v. 11.  
indicavit.* Per prædicationem autem Evangelii istud po-  
suerat, sicuti & hodienum id fit à fidelibus Ecclesiæ Docto-  
ribus, qui sunt Dei ministri. Felices igitur nos iterumq; felí-  
ces, qui tam solidum, tam firmum, tam bene fundatum salu-  
tis nostræ fundamentum habemus. Valeant proinde Pontifi-  
cii, suam in propriis suis operibus ac meritis salutem quæ-  
rentes, nec à solo Filio, sed Matre etiam, nisi fortè ab hac  
solâ, expectantes. Optime Marloratus Exposit. Ecclesiast.  
Prophet. Esaiæ cap. XXIX. 16. *Non vulgarem, (lapidem)*  
*aut unum è multis, qui adficio serviant, esse ostendit, sed eximi-  
sum, & quo solo totum adficii pondus nitatur. Sic ergo est lapis,*  
*ut totum angulum occupet; sic est angulus, ut tota domus in eo*  
*sit fundata.* Aliud qvippe fundamentum ponit non potest,  
præter hoc, qvod ab ipsomet positum Deo est, quod est Je-  
sus Christus. Tempus, qvo positum sit hoc nostræ salutis  
fundamentum, si inquirendum esset, clarissimè omnium  
responderit Petrus I. Ep. I. 20. *Preordinatus quidem fuerat*  
*antequam conditus esset mundus; sed manifestatus fuit extre-  
mis temporibus propter vos.* Hæc sunt extrema illa tempo-  
ra, de qvibus loquitur Paulus Gal. IV. 4. r. *Ubi venit pleni-  
tudo temporis, emisit Deus Filium suum, natum ex muliere, fa-  
ctum Legi obnoxium, ut eos, qui Legierant obnoxii, redimeret,*  
*ut adoptione filiorum ejus jus reciperemus.* Ut clarius dicam:  
est id ipsum tempus, quod in memoriam sibi hodie revocat  
universus Christianorum cœtus, qvo, ante MDCCVII. an-  
norum decursum, Deus factus est homo, & natus nobis est  
Salyator, qui est Christus Dominus in civitate David. Agno-  
scitis

scitis nunc ergo, Optimi Cives! quod qvaleq; sit salutis nostræ  
unicum fundamentum ab ipso Deo positum. Ecqvid vero  
prodebet, fundamentum posuisse profundum, solidum, ac  
satis firmum, sinon & ædificium conveniens superstruere.  
tur? Ostendo itaq; abs Paulo salutis fundamento, Petrus nunc  
graviter nos hortatur: ipsi quoq; veluti vivi lapides, ædificemini,  
domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales  
hostias, acceptabiles DEO per jesum Christum: 1. Pet. II. 5. Uni-  
versa nostra Religio sicuti in doctrinâ & vitæ praxi, utraq;  
juxta divinam revelationem, consistit: ita utramq; posito  
hodie salutis nostræ fundamento inniti oportet. Qvapropter  
qvisq; videat, qvomodo superstruat, Paulo monente i. Cor. III.  
10. qvi & mox v.12.13. addit: Quod si quis superstruit super fun-  
damentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fæ-  
num, stipulam; cuiusq; opus manifestum fiet: dies enim declarabit,  
qved in igne revelabitur: cuiusq; opus qvale sit, ignis probabit.  
Hunc qvidem locum inter eos esse, qvi molestiæ non parum  
eruditis attulerunt, me qvidem judice, non malè observa-  
vit Vir magni nominis, Heinsius Exercit; Sacr. ad N. T. h.l.  
Non tamen vacat omnes examinare sententias & interpre-  
tationes, sed sufficiat ad ipsum contextum alegari Lecto-  
rem, qvi aperte satis indicat, de Doctrinâ sermonem Apostolo  
potissimum esse. Ideoq; brevitatis ergo explicationem addu-  
cemos Viri de puriori Evangelii Doctrinâ dec̄ universâ Ec-  
clesiâ nostrâ, unicum illum de peccato originis si excepēris  
errorem, præclarè meriti, Matthiae nimirum Flacii ex Gloss;  
Compend; in N.T.h.l. Per aurum & argentum intelligit (Pau-  
lus) sanam ac salutarem Doctrinam, uberior explicantem mysteri-  
um Christi. Per stipulam, fænum ac ligna intelligit non bonas opini-  
ones neque tamen ipsum fundamentum penitus evertentes,  
qvales fuerunt innumerâ atrum de rebus ceremonialibus ac jeju-  
niss, de præstantiâ cœlibatus & secundis Sacerdotatum nuptiis, de  
Paschate;

Paschate, de fermentato, ac similibus rugis, sine opinione meriti & peccati. Postremò cum ad hujusmodi ineptias accessit opinio meriti, seperunt illa evertere fundamentum ipsum. Sic igitur veram Doctrinam fundamento huic superstruamus, operam demus; siquidem ipsam ad salutem æternam consequendam necessariam esse, ipse indicat Salvator noster Joh: XVII. 3. Hac est vita aeterna, ut cognoscant Te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Secus si fieret, si doctrinam sectaremur fundamentum hoc sive directè sive indirectè evertentem sanè si non ipsa excideremus salutem, saltem omnis de eadem spes nostra dubia foret, id quod Petrus disertis verbis docet i. Ep. II. 6. sive. Quapropter & scribit, continet Scriptura (Ez. XXIX. 16.) Ecce! pono in Sion lapidem in summo ponendum angulo, electum, pretiosum: & qui crediderit in illo, non puderiet. Vobis igitur pretiosus est, qui creditis; ceterum iis, qui non credunt, lapis quem reprobaverunt adficiantes, hic cœpit esse caput anguli, & lapis, in quem impingitur, & petra ad quam offendunt, nempe iis qui impingunt in sermonem, neque credunt in id, ad quod & instituti fuerant. Sed non doctrina sola, verum & vitae praxis huic superstruenda fundamento est. An enim doctrina salvare quenquam potest, si non & vitam eam vivamus dignam? Vita vero quam inniti debere fundamento salutis nostræ, Iesu scilicet Christo hodie nato, dicimus, consistit in fide virtutumque christianarum exercitio. Paulus & Silas in civitate Thyatirorum captivi detenti, custodi carceris ipsos interroganti: Domini! quid me oportet facere, ut salvus fiam? respondebant: Credere in Dominum Iesum Christum, & salvus eris tu ac Dominus tua, veluti legere est Act. XVI. 30. 31. Qvisquis igitur salutem suam in fundamento salutis fundat eupit, credit in natum nobis hodie Salvatorem, oportet. Non autem sufficit, ore externo profiteri fidem, nisi vera quoque cordis fiduciâ in Christum recumbamus. Vera haec esse deber

debet fides ac viva. Viva verò fides est, quæ per opera se demonstrat. Nostis, o Mei! qvod fides, si facta non habuerit, mortua sit per se; docente Jacobo, Cap. II. Epist. v. 17. Quid ergo fidem crepare juvat, si non opera fidei exhibemus? Hæc autem sunt opera fidei: charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, temperantia, enumerante ea Paulo Gal. V. 22. 23. Non credo Vos, CIVES! salutis vestræ frivolè ac obstinatè prodigos, quin potius, eandem super fundamento ejus à Deo hodiè posito, quantum in Vobis est, per Spiritus Sancti gratiam ædificaturos Vos esse, confidam. Idcirco has omni nisu ac studio sectemini virtutes, & quæ eis repugnant, cane pejus ac angue fugitote, vitia operaq; carnis, quæ sunt hæc: adulterium, scortatio, immunditia, lascivia, simulachrorum cultus, beneficium, inimicitiae, lites, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, sectæ, invidiae, cædes, ebrietates, commessationes, & his similia; qualia qvi agunt, regni Dei hæredes non erunt, docente Paulo I.c. v. 19. sqv. Hoc igitur, iterum iterumq; vos hortor atq; obtestor, agite sacro hoc tempore & omni secuturo, ac de salute vestrâ, utut operibus suis mereri eam nemo hominum possit, eritis certiores. Fundamento quippe ea innititur certo, solido, firmo, ab ipso Deo fundato. Idque contra quosvis spiritualium vestrorum hostium insultus, quin & temporales adversitates atq; ærumnas efficacissimo vobis erit solatio. Ita vere magnum Vobis annuncavi gaudium, quod factum est Vobis cum omni populo: qvia natus est Vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.


Halleluja! Halleluja!

**P.P. Rostochii Sub Sigillo Academicō  
Festo Nativ. Christi An. MDCCVII.**





Paschate, de fermentato, ac similibus nugis, sine opin  
peccati. Postremò cum ad hujusmodi ineptias accessi  
ceperunt illa evertere fundamentum ipsum. Sic  
Doctrinam fundamento huic superstruamus, op  
siqvidem ipsam ad salutem æternam conseque  
fariam esse, ipse indicat Salvator noster Joh: X  
vita eterna, ut cognoscant Te solum Deum verum  
sisti Jesum Christum. Secus si fieret, si doctrinam  
fundamentum hoc sive directè sive indirectè  
sanè si non ipsa excideremus salute, saltem or  
spes nostra dubia foret, id quod Petrus disert  
et i. Ep. II. 6. lqv. Quapropter & scribit, cont  
(Ec. XXIX. 16.) Ecce! pono in Sion lapidem in sum  
angulo, electum, pretiosum: & qui crediderit in  
fiet. Vobis igitur pretiosus est, qui creditis; ceteri  
credunt, lapis quem reprobaverunt adfiantes, hi  
put anguli, & lapis, in quem impingitur, & petra a  
dunt, nempe iis qui impingunt in sermonem, neg  
ad quod & instituti fuerant. Sed non doctrina se  
vitæ praxis huic superstruenda fundamento ei  
doctrina salvare qvenquam potest, si non & v  
mus dignam? Vita vero/ quam inniti debere  
salutis nostræ, Iesu scilicet Christo hodie nato,  
sistit in fide virtutumq; christianarum exerciti  
Silas in civitate Thyatirorum captivi detenti,  
ris ipsos interroganti: Domin! quid me oport  
eus fiam? repondebant: Crede in Dominum Je  
& salvus eris tu ac Domus tua, veluti legere est A  
Qvisquis igitur salutem suam in fundamento  
tam cupit, credat in natum nobis hodie Salvato  
Non autem sufficit, ore externo profiteri fid  
qvoq; cordis fiduciâ in Christu recumbamus.



the scale towards document